

B X 1935

R 45

V. 7



FONDO E. VETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

55841

DE  
REGULIS JURIS  
IN GENERE.

PROŒMIUM.

1. *Ratio ordinis.* — Antequam explicandas regulas juris in specie assumamus, conduens videtur prius de earum natura in genere, earumque divisione, vi, et auctoritate, utilitate, et applicatione agere. Hinc.

2. *Quid sit regula juris?* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit regula juris? Resp. I. Quamvis *regulæ* nomen varias habeat significationes, et etymologiam spectando derivetur a *regendo*, seu *regulando*, « eo quod recte ducat, vel normam recte vivendi præbeat, vel distortum, pravumque corrigat, » *Can. Reg. 2. dist. 3.* Tamen ad propositum, et in quam ut *Regula juris* consideratur, denotat sententiam generalem, quæ plura jura seu leges et canones hinc inde dispersos de diversis rebus et casibus eandem rationem habentibus agentes, brevi ac claro compendio complectitur et proponit. In quo genuino sensu regula juris bene definitur l. I, ff. *de Regulis juris* illis verbis: « Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat: » ubi per *rem* non denotatur res seu factum, vel causa in controversiam deducta, sed ipsum jus de variis rebus eandem rationem habentibus hinc fusius dispersum, quod per regulam

breviter, compendiose et clare proponitur, « non ut ex regulis jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fiat. » ff. *ibid.* Sicque non jus ex regulis, sed regulæ ex jure sumantur.

3. *Declaratur exemplis ex jure desumptis.* — Pro majori intelligentia regulæ juris, declaratur exemplis utriusque juris; sic etenim dum infames unus canon a prælaturis, et beneficiis ecclesiasticis, alius a magistratu, alius ab officio judicis et assessoris, alius a munere tabellionis et advocati arcet, cuncta hæc jura et canones diversis in locis positos unica regula 87. *Juris in 6.* paucis verbis complectitur: « Infamibus portæ non pateant dignitatum. »

4. Sic etiam quod in jure disponitur, perjurum non esse admittendum ad testificandum propter suspicionem perjurii c. *Testimonium. 54. de Test. et attest.* Item, uxorem non esse restituendam marito sævienti ab eo digressam ob metum sævitiæ. c. *Litteras. 15. in fine de Restit. spol.*, deciditur una regula generali: « semel malus semper præsumitur malus, » l. VIII, *de Reg. juris*, in 6.

5. Sic pariter dispositiones juris, quod matrimonium defectu ætatis invalidum resolvatur in sponsalia. c. *fin. de Despons. impuberum*: et testamentum minus solemne

non præjudicet piis legis. c. *Cum esses de Testam.* ac licet donatio ultra quingentos solidos non insinata sit invalida. § *Aliæ autem* 2. *Instit. de Donation.* valeat saltem pro minori summa, breviter comprehendit unica illa regula: « Utile per inutile non debet vitari. »

6. Rursus dum lex civilis una fœminas ab officio judicis, alia a tutela, alia a postulando, alia a fidejubendo removet, has cunctas leges in diversis locis de diversis actibus latas breviter jam comprehendit reg. 2, in *Pandectis*: « Fœminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt. » Ut proin pro faciliori captu regula juris juxta dicta bene definiri valeat dicendo: « Regula juris est sententia generalis, quæ plura jura, seu leges et canones hinc inde dispersos, de variis rebus eandem rationem habentibus agentes claro, ac brevi compendio complectitur ac proponit. » Prout etiam in re communiter eam definiunt canonistæ et legistæ.

7. *Regulæ aliæ sunt juris civilis, aliæ juris canonici.* — Resp. II. Regulæ juris in primum dicto proprio sensu acceptæ aliæ sunt juris civilis, aliæ juris canonici. Regulæ juris civilis sunt, quæ juri civili sunt insertæ, præsertim vero illæ, quas numero 211. Imperator Justinianus ad finem *Digestorum* sub titulo, *De Regulis juris*, subjunxit, et ad finem hujus tractatus etiam nos eas summarie ponemus. Regulæ juris canonici sunt, quæ juri canonico sunt annexæ: sicut enim imperator Justinianus ad finem *Digestorum* ultimum posuit titulum *de Regulis juris*, quæ breviter et compendiose referrent jura et leges in corpore juris comprehensas; sic ad imitationem ejusdem etiam summi pontifices Gregorius IX et Bonifacius VIII et quidem ille post omnes quinque libros *Decretalium* finalem titulum esse voluit *De Regulis juris* (quæ ibidem II, numerantur). Iste vero post omnes libros *Sexti Decretalium* ad finem posuit regulas juris numero 88, pariter sub titulo seu rubrica *De Regulis juris*, quæ propterea etiam regulæ juris in *Sexto* communiter dicuntur.

8. *Multum conveniunt ad invicem, et promiscue citantur.* — Habent tamen regulæ utriusque juris tam civilis nempe quam canonici summam connexionem, convenientiam, et habitudinem ad invicem, ac in plurimis materiis sese mutuo adjuvant et explicant; suntque a potiori regulæ juris canonici ex ipsis regulis juris civilis assump-

tæ, ut proin tam legistæ quam canonistæ utriusque, civilis nempe, et canonici juris regulis promiscue merito utantur, easque pro suis causis citent, et plerumque applicent.

9. *Regulæ aliæ sunt authenticæ.* — Regulæ juris rursus aliæ sunt authenticæ, aliæ non authenticæ, sed doctrinales duntaxat, communiter brocardicæ dictæ. Authenticæ sunt omnes, quæ auctoritate papali, vel imperiali juri canonico, vel civili præsertim sub hac rubrica seu titulo *de Regulis juris* reperiuntur insertæ.

10. *Aliæ non authenticæ, seu brocardicæ.* — Non authenticæ, seu doctrinales et brocardicæ sunt, quæ a jurisconsultis, vel aliis doctoribus privata auctoritate ex variis textibus, vel etiam philosophorum dictis depromptæ inveniuntur, citanturque, et applicantur quidem, vim juris tamen, uti authenticæ, non habent, etsi pondus suum et auctoritatem sat magnam in probando habeant.

11. *Authenticæ habent vim juris in casibus non exceptis.* — Quæritur II. Quam vim et auctoritatem habeant regulæ juris? Item quam utilitatem afferant, et quomodo applicari debeant? R. I. Regulæ juris authenticæ debite applicatæ in casibus non exceptis habent vim juris. Ratio est; quia, etsi jus novum non faciant, tamen plura juxta prius jam constituta supponunt, eaque compendiose comprehendunt, et hoc ipso vim juris continent utpote ex jure desumptæ, juri que in speciali titulo insertæ, et non nisi jura comprehendentes, et juxta illa conditæ.

12. *Nulla regula sine exceptione.* — Dicitur autem: « In casibus non exceptis: » quia etsi authenticæ regulæ juris bene applicatæ vim juris habeant, universaliter tamen et semper infallibiles non sunt, cum in ipso jure nonnunquam reperiuntur exceptiones contra regulas. Tum quia materiæ illæ, quas regulæ juris præstringunt, maximam habent latitudinem, indeque propter diversitatem rationis, vel juris dispositionem non raro patiuntur exceptiones et fallentias, prout cum communi Doctorum bene advertit gloss. fin. in rubric. *de Regulis juris*, dicens: « Regula proprie sic dicitur, quasi regulariter vera, quamvis patiat exceptiones; » Estque propterea communiter receptum illud brocardicum: « Nulla regula sine exceptione. »

13. *Regulas scire et applicare, maxima utili-*

tas. — Resp. II. Non obstante, quod regulæ juris suas patiantur exceptiones, et fallentias, tamen maxima censetur utilitas earum, estque perutile regulas juris legere, et relegere, easque, quantum fieri potest, memoriæ mandare, atque pro decisione causarum et casuum eas allegare; tum quia hoc ipso, quod fere quævis variorum jurium de diversis rebus eandem rationem habentibus agentium multitudinem compendiosa ratione complectatur, cunctæ regulæ compendiosam pro adjutorio memoriæ præbent juris notitiam; tum quia juxta eas deciduntur casus emergentes, quia a jure speciatim, et expresse non sunt decisi, cum tales casus decidendi sint per similia. I. *non possunt* 12, ff. *de Legibus*. Nam de similibus idem est judicium c. *Inter*, 4, in fine, *de Rescript.* Similia autem vel maxime cognoscuntur ex regula de variis rebus plura jura similia complectente; tum etiam quia ex illis forte semper desumitur argumentum; quia in dubio potior est causa illius, pro quo stat regula, cum habeat intentionem pro se fundatam in jure, et immunis ab onere probandi transferat illud in adversarium, qui probare tenetur, quod casus, de quo agitur, a regula sit exceptus, uti bene advertit gloss. in rub. *de Reg. juris* arg. c. *Ad decimas*, *de Restit. spoliat.* in 6, juncta l. *Ab ea*, 5, ff. *de Probat.* Hinc communia illa axiomata: « Regulæ standum est, donec contrarium probetur, » arg. c. fin. *de Restit. spoliat.* « Regulæ inhærendum est, donec de fallentia constet » Gobath. t. V, quin cap. IV, n. 94. « Ratio sumpta ex regula fortissima est. » Navarr. lib. consil. 7, *de Sepult.* « Qui habet regulam pro se, dicitur fovere jus certum. » Barto. in l. 2, ff. *Si quis in jus vocatus*. Decius et alii. « Regulæ juris sunt tenaces, a quibus in dubio recedendum non est. » Gobath. l. c. n. 45. Dicitur autem in Resp. I, n. 11, data « Regulæ debite applicatæ. »

14. Resp. enim III. Circa debitum usum et applicationem regulæ alicujus pro decidendo casu particulari præter alia, duo præcipue esse observanda. *Primo*, utrum in tali casu eadem habeatur ratio: cum enim, juxta definitionem regulæ supra n. 6, datam, Regula sit sententia generalis et compendiosa plurium jurium conjunctio, ac dispositio de variis rebus eandem rationem habentibus, necessario sequitur, quod ratio casus decidendi debeat eadem esse cum ratione generali ipsius regulæ; hac enim deficiente, et ubi

non est eadem ratio, ibi censeri et esse non potest eadem juris dispositio. I. *Illud* 32, ff. *ad Legem Aquiliam*.

15. *Quæ observanda in applicatione.* — *Secundo* attendendum, an non circa talem casum specialis in jure habeatur exceptio; hæc enim ubi adest, procul dubio regula non procedit, cum exceptiones aliud non sint, quam limitationes, seu fallentiæ regularum circa casus particulares. Quinam autem casus in jure specialiter sint excepti, in decursu examinando singulas regulas in particulari magis patebit.

16. *Exceptio declarat regulam, et firmat eam in contrarium.* — Cæterum licet exceptiones aliquo modo adversentur regulæ generali, eidem tamen etiam suo, præsertim duplici modo opitulatur: et quidem *Primo*, quia juxta tritum axioma: « Exceptio declarat regulam; » cum ex qualitate exceptionis et casus excepti facile colligi possit, de quonam genere vel materia regula loquatur. *Secundo*, quia « Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, » l. Ex eo. 18, ff. *de Testib.*

Ratio est, tum quia, qui aliquam speciem sub genere contentam excipit, de reliquis sub eodem genere contentis etiam cogitasse, et eas non exceptas, sed sub genere comprehensas voluisse censendus est. I. *Cum prætor*, 12, pr. ff. *de Judic.*; tum quia verba regulæ generalia, generaliter de omnibus sub regula contentis, et specialiter non exceptis intelligenda veniunt, c. *Quia circa* 22, *de Privi.* nisi casus aliqui exceptis omnino similes forent, aut correctio juris, vel absurdum sequeretur, vel ex sufficienti ratione appareret, verisimile non esse, quod legislator talem sub universali regula voluerit esse comprehensum.

## CAPUT I.

### De regulis juris quinto decretalium annexis in specie.

#### PRÆFATIO.

1. *Ratio ordinis.* — Præmissa in prooemio sufficienti notitia circa regulas juris in genere, progredimur in nomine Domini ad declarationem seu explicationem regularum

juris canonici in specie, totam rem per duo capita absolvere intendentes : et quidem ordinem juris secuturi prius, seu in primo capite de *Regulis juris canonici quinto libro Decretalium annexis* : in secundo autem capite de *Regulis juris canonici ad finem Sexti Decretalium* in speciali, eoque ultimo titulo positus tractabimus; cui subnectemus caput III. De *Regulis juris civilis*, non declarando illas, sed adducendo duntaxat, ut civilis præsertim corpus juris civilis non habenti ad manum sint, explicationem earumdem, quas fori canonici non est, legis relinquentes.

2. *Methodus scribendi et explicandi.* — Methodum quod concernit, pro faciliori intelligentia et majori claritate (quam cordi habere pro viribus conabimur) eandem, quam in jure universo a nobis dilucidato, observabimus, totam materiam per quæsitam ita tractando, ut a potiori circa quamvis regulam duo ponamus quæsitam. Primum quidem, quomodo regula sit intelligenda : et quis sit verus genuinus sensus illius, quem etiam ubi opus erit per exempla ex jure desumpta amplius declarare studebimus. Secundum vero de exceptionibus et fallentiis contra regulam, non quidem omnibus (ne tractatus nimium excrescat, et obscurantur potius quam declarentur regulæ) sed magis servientibus. Intellecto enim genuino sensu regulæ, cognitisque exceptionibus, quas patitur, prudens lector facile colliget, quando et quomodo ad propositum aliqua in particulari casu rite applicari valeat; præsertim quia in multis remissio fiet ad juris canonici libros et titulos a nobis editos, ubi, qui vult, materiam fusius tractatam habere poterit. Ponitur itaque ex quinto Decretalium declaranda.

## REGULA I.

OMNIS RES, PER QUASCUNQUE CAUSAS NASCITUR,  
PER EASDEM DISSOLVITUR.

1. *A quo hæc regula? et cum quibus concordet?* — Hæc regula tribuitur sancto Chrysostomo, cap. v. *Operis imperfecti in Matth.* et ad verbum refertur c. *Omnis*, 27, q. 2. eisque concordat, c. *Cum cessante*, 60, de *Appellat.* Item regula juris civilis, 35, ff. de *Regulis juris*, sic sonans : « Nihil tam naturale est, quam eodem genere quodque dissolvere, quo colligatum est. »

2. *Quomodo? et de quibus intelligenda?* — Quæritur I. Quomodo sit intelligenda hæc regula, et quis verus ac proprius illius sensus sit? Resp. Eam non nisi de obligationibus seu contractibus temporalibus civilibus, non item de spiritualibus, aut de aliis rebus intelligendam esse, ut proin per verba, « omnis res, » omnis obligatio seu contractus civilis temporalis denotetur. *Glossa magna* hic cum communi doctorum.

3. *Quis verus illius sensus sit?* — Ex quo clare eruitur, verum et proprium sensum hujus primæ regulæ esse sequentem : « Omnis obligatio seu contractus civilis temporalis, per quascunque causas sive media et modos contrahitur, aut inducitur, per eosdem etiam dissolvitur. »

4. *Declaratur exemplis ex jure desumptis.* — Declaratur exemplis : Primum adducit ipsa regula juris civilis 35, ff. de *Reg. juris*, n. 1, utpote nostræ similis allegata, dum verbis regulæ statim sequentia annectit. « Ideo verborum obligatio verbi tollitur : nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur. » Sic etiam pactum pacto l. *Si unus* § *Pactus*, ff. de *Pactis*. lex lege solvitur. § penult. *Instit. de Jur. nat.* Siquidem lex sive præcipiens, sive prohibens etiam legitime promulgata, sola voluntate principis qui eam condidit, iterum tollitur, arg. c. *Alma* 24, prin. de *Sent. excom.* in 6. Sic pariter sola illius tolluntur voluntate obligationes portandi et præstandi onera v. g. tributa, vectigalia et similia. *Strein* ad hanc reg. n. 2.

5. Sic rursus emptio et venditio mutuo consensu facta, solo mutuo consensu, et post traditionem rei consensu eodem, rei que et pretii redditione dissolvitur, l. *prout* 80, ff. de *Solut.* et § fin. *Instit. Quibus modis toll. obligat.* Sic testamentum solemne per aliud testamentum solemne tollitur, l. *Hac consultissima* 21, de *Testament.*

6. Sic ulterius sponsalia de futuro occulta mutuo consensu contracta eodem etiam solvuntur. Dicitur autem notanter *occulta*, quia, ut publice contracta cessent, saltem in aliquibus diocesis, ut in Frisingensi, accedat auctoritas judicis ecclesiastici, necesse est; imo etiam ad secreto quidem contracta, sed postea evulgata, uti potest ex rituali diocesis præfate cap. ix, memb. 1, § 7, n. 3, ubi expresse decernitur, ut non tantum sponsalia coram parrocho publice contracta; sed etiam secreto contracta; sed postea divul-

## REGULA II.

gata, ad sui dissolutionem requirant auctoritatem publicam judicis ecclesiastici.

7. Illud tamen etiam notandum cum *Glossa*, hic, per regulam hactenus declaratam non negari, quin obligationes etiam aliis, quam inductæ sunt, modis solvantur. Sic enim plures obligationes tolluntur reali solutione l. *Nulla* 5. C. de *Solut.* Tolluntur etiam præscriptione. Prin. *Instit. Quibus modis toll. obligat.* Item tolluntur morte, quæ omnia solvit : sic morte solvitur obligatio societatis § *Solvitur*. 5. *Instit. de Societ.* Frequentior tamen, et quasi ordinarius solvendi obligationes modus est item, qui erat constituendi juxta hactenus declaratam regulam; quamvis etiam in hoc suas patiatur exceptiones. Hinc.

8. *In quibus regula patiatur exceptiones et fallentias?* — Quæritur II. Quas exceptiones et fallentias patiatur regula I, hactenus declarata? Resp. Plures, inter alias etiam sequentes, et quidem, primo fallit in matrimonio consummato; quia ex institutione divina est indissolubile, et ideo mutuo consensu, quo contractum est, solvi non potest.

9. Fallit secundo, in sacramentis baptismi, confirmationis, et ordinis, utpote quorum effectus et character est indelebilis pariter ex institutione Christi, et ideo semel suscepta sicut non iterantur, sic etiam amplius non admittuntur. *Gloss. Hic*, §. *Omnis*. *Abbas*, *Hic*, pr. et n. 2.

10. Fallit tertio, in cunctis obligationibus spiritualibus, prout jam dictum n. 3, de vero sensu regulæ. *Gloss. et Abb.*, l. c. cum communi aliorum. Rationem assignant; quia sicut obligationes temporales facilius destruuntur, quam constituuntur, sic obligationes spirituales facilius constituuntur arg. c. *Inter corporalia*, 2, de *Translat. episc.* cum fortius sit spirituale vinculum quam carnale.

11. Fallit quarto, in obligationibus ex natura sua, vel ex dispositione legis divinæ aut humanæ perpetuis : Ratio est, quod licet obligationes ex contractibus ortæ regulariter dependant a voluntate contrahentium ultra intentionem agentium l. 19, ff. de *Rebus credit.* Nihilominus, quia contrahentes se conformare censentur juri, et naturæ contractus l. 57, § *Cum ita ad S. C. Trebell.*, et l. 54, § *Inter locatorem*, ff. *locati* contractus, et inde orta obligatio irrevocabilis evadit, quando eam lex, vel natura perpetuam esse volunt, ita ut, quod prius erat voluntatis, ex post facto fiat necessitatis. l. 12, in fine C. de *conwah. Empt.* l. 22, § sicut 14, ff. *Mandati.*

ESTOTE MISERICORDES, ETC., HOC LOCO NIL ALIUD NOBIS PRÆCIPUI EXISTIMO, NISI UT EA FACTA, QUÆ, DUBIUM EST, QUO ANIMO FIANI, IN MELIOREM PARTEM INTERPRETEMUR. QUOD ENIM SCRIPTUM EST : EX FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS; DE MANIFESTIS DICTUM EST, QUÆ NON POSSUNT BONO ANIMO FIERI : UT STUPRUM, BLASPHEMIE, FURTA, EBRIETATES ET SIMILIA, DE QUIBUS NOBIS PERMITTITUR JUDICARE. — VEL UT RUBRICA HABET : DUBIA IN MELIOREM PARTEM INTERPRETARI DEBENT.

1. *Quomodo intelligenda hæc regula?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula II, intelligenda et quis verus ejus sensus sit? Resp. I. Hanc regulam esse facilem intellectu; qua, uti patet, seipsam declarat; hinc ab aliis communiter solis illis verbis proponitur : « Ea facta, quæ dubium sunt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. » Vel ut rubrica habet : « Dubia in meliorem partem interpretari debent. »

2. *Intelligitur de omnibus actionibus et verbis. Quilibet præsumendus bonus, donec probetur malus.* — Notandum tamen, per verbum regulæ facta intelligi omnes actus, gesta, operationes, actiones, imo et verba arg. c. *quia circa* 22, de *Privileg.* quæ si ita se habent, ut nec certum, nec probabilius, nec vere probabile appareat, sed vere dubium maneat, ex quo fine, vel qua intentione bona vel mala prodierint, bona potius, quam mala intentione et animo contigisse, censenda sunt vi hujus regulæ. Rationem dat S. Thomas 2, 2, q. 60, art. 3, quia ille, qui habet malam opinionem de proximo absque sufficienti ratione, facit ei injuriam, eumque temere judicat, et indirecte contemnit, quod licite facere non potest juxta illud Salvatoris *Matth.*, vii, 1, et *Luce*, vi, 37. *Nolite judicare* (intelligi temere sine sufficienti ratione) *et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini.* Fundatur etiam in lege charitatis volente, ut quivis præsumatur bonus et innocens donec probetur malus, arg. c. *unico de Scrut. c. fin. de Præs.* et l. *Merito* 51, ff. *pro Socio.*

3. *Stante vero dubio solum procedit regula.* — Dicitur autem notanter in responsione : « ut vere dubium maneat; » quando enim ex ratione et circumstantiis quis magis in unam, quam alteram partem inclinaret, licet cum formidine de opposito, jam cessaret dubium,

et subintraret opinio, sicque regula locum non haberet, uti ex Farin. *Prax. Crim.*, q. 36, n. 197; Menoch. *de Præsumpt.*, q. 7, n. 47, bene observat Strein., in hanc regulam, n. 1, quia dubitatio nullus adhuc est probationis gradus, sed potius principium investigationis de veritate et certitudine. Farin., Menoch., l. c. Cæterum, ut recte advertit Strein., l. c., dubium nasci solet vel ex defectu medii scientifici, vel ex obscuritate ipsius rei, facti, aut sermonis, vel ex æqualitate signorum aut rationum; manente ergo vero dubio solum procedit regula circa quam proin.

4. *Verus sensus regulæ.* — Resp. II. Verus et proprius sensus regulæ secundæ est sequens. « Quandocunque actiones, vel verba ita constituta sunt, ut non appareat, sed vere dubium maneat, utrum animo, seu intentione bona vel mala prodierint, ea in bonam partem interpretari, et animo seu intentione bona potius, quam mala contigisse censere debemus. » Ob rationes et jura supra n. 2, jam allegata.

5. *Securius est, errore melius quam pejus interpretando.* — Nec obstat, contingere posse, quod ille, qui in meliorem partem interpretatur, frequentibus fallatur; respondetur enim, melius esse, quod quis fallatur habens bonam opinionem de homine malo, quam quod rarius fallatur habens malam opinionem de homine bono; quia ex hoc fit proximo injuria, non autem de primo, ut bene advertit S. Thom., l. c. art. 4.

6. *Melius est rationem reddere propter misericordiam, quam propter crudelitatem.* — Hinc etiam arg. can. *Alligant.*, can. 26, q. 7, melius est, de misericordia argui, quam de crudelitate; nam ut habet sanctus Chrysostomus citato can. relatus. « Nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? »

7. *Quando et quomodo adhibendus rigor? Facilitas veniæ est incentivum peccandi.* — Et si objiciatur, can. *Est injusta*, 33, can. 23, q. 4, præcipi, ut servetur rigor, ibi: « Est injusta misericordia, etc., facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi. » Resp. hic esse sermonem de discreto misericordiæ mixto rigore, qui nullatenus severitas vel crudelitas a sancto Chrysostomo relata, sed debitus, utilis et necessarius justus zelus est, et dici debet, quem si non adhibent rectores, ipsi quoque censentur rei delictorum a subditis commissorum, arg. can. 1, 2 et 3,

dist. 86, ibi can. 1. « Inferiorum culpæ ordinum ad nullos magis referendæ sunt, quam ad desides, negligentesque rectores, qui multam sæpe nutriunt pestilentiam dum austeriorem (alibi legitur necessariam) dissimulant adhibere medicinam, » quia ubi delicta manent impunita, liberius et frequentius peccatur, ac locum habet citatus textus can. « Est injusta, quod facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi: » et e contra verum manet illud. « Ubi rigor, ibi vigor, » arg. cit. can. 3, dist. 86. Addit Glossa in cit. can. *Alligant.*, §. *melius*. can. *est injusta*, de servando rigore intelligendum esse; quando alias nulla est spes emendationis, vel correctionis; item de insolentibus et tumidis arg. cit., can. 2, dist. 86, ibi: « Corripiantur tumidi, tolerantur infirmi: et quod in peccatis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis. »

8. *Declaratur regula exemplis.* — Porro regula nostra, et sensus ejusdem ulterius declaratur, et firmatur ex aliis concordantibus juris principiis ac regulis, simulque ostenditur, universaliter verum esse, quod regulæ rubrica dicit: « Dubia in meliorem partem interpretari debemus. » I. Si quis gratiosum rescriptum obtinet cum clausula: « Si idoneus est, » et dubium apparet, an idoneus sit, non tenetur se idoneum probare, sed talis benigniore interpretatione præsumi debet textu claro c. fin., *de Præsumpt.*

9. — II. Actus, qui potest denotare delictum et non delictum, ut carens delicto interpretari debet l. 51, ff. *Pro socio*, l. 4, § *Docere* 12, ff. *De vi bon. rapt.*

10. — III. In odiosis et onerosis v. g. in pœnis infligendis, stante dubio semper mitiorem, et benigniorem, reoque favorabilem interpretationem amplecti oportet, c. *Odia* 15, *de Reg. jur.*, in 6. *Odia restringi et favores convenit ampliari*, cui concordat c. in pœnis 49, *De Reg. jur.*, in 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda.*

11. — IV. Existente dubio in contractibus et testamentis benigne, et ita interpretari debemus, ut potius valeant, quam pereant; l. *Proxime*, 3, ff. *De his, quæ Testamento delentur*, ibi. « In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam tutius. »

12. *Fallit regula primo in manifeste ac intrinsece malis.* — Quæritur II. Quas exceptiones seu fallentias patiat regula II. Resp. Præter alias, etiam sunt sequentes, et qui-

dem primo fallit regula in actionibus manifeste malis, uti patet ex ipso textu regulæ; ubi etiam additur ratio: « Quia non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietates et similia, de quibus nobis permittitur judicare, » adeo ut non tantum nemo teneatur, sed nec prudenter possit interpretari, illa bono animo esse facta.

13. *Fallit secundo quando agitur de damno avertendo.* — Fallit secundo in casibus, in quibus agitur de malo avertendo, vel bono acquirendo aut tuendo: in his enim etsi in dubio id, quod pejus est, de proximo positive judicare non valeamus, tamen illud timere, et de illo cogitare, indeque convenientes cautelas adhibere licet, cum jura etiam abundantem cautelam approbent, l. *Testamentum*, 17, C. *de Testam.* Et profecto si sua quis propria facta timere, et suspecta habere potest juxta *Job*. cap. ix, 28. *Verebar omnia opera mea*: quare non alienis attendere, ne sibi vel aliis noceant? Hinc illi minime contra hanc regulam, sed prudenter agunt, qui peregrinis et ignotis hominibus hospitio susceptis cistas, et cubicula claudunt, pretiosam suppellectilem abscondunt, sique pro avertendo damno contra quemvis casum cautelam adhibent. Strein. *In hanc reg.*

14. *Fallit tertio in judiciis.* — Fallit tertio in judiciis; in his enim judex causam vel factum controversum et dubium non pro privato arbitrio et bonitate sua in meliorem partem interpretari potest, sed juxta allegata et probata, ac prout res in se est, judicare debet can. *Judicet*, 4, can. 3, q. 7, et c. 1, *de Sent. et re jud.* in 6, salvo tamen illo, quod manente dubio reus sit absolvendus c. *Inter dilectos*, 6, *de Fide instrum.* et c. *Ex litteris*, 3, *de Probat.* ibi: « Promptiora sunt jura ad absolvendum, quam condemnandum. »

## REGULA III.

UTILIUS SCANDALUM NASCI PERMITTITUR, QUAM VERITAS RELINQUATUR. — VEL UT RUBRICA HABET: PROPTER SCANDALUM EVITANDUM NON EST OMITTENDA VERITAS.

1. *De scandalo. Remissive: datur triplex veritas* — Supposita, ex theologia, notitia quid, et quotuplex sit scandalum, de quo in nostra *Theologia morali*, tract. 4, dist. 7, q. 2,

sufficienter egimus, notandum cum gloss. h. c. quod triplex detur veritas, vitæ scilicet, justitiæ, et disciplinæ.

2. *Vitæ videlicet, justitiæ et disciplinæ.* — « Veritas vitæ » est ipsa legibus et præceptis conformis honestas et integritas vitæ: « Veritas justitiæ » ad judices pertinens est universalis recta administratio justitiæ juxta exigentiam jurium et legum: « Veritas disciplinæ. » Prælati propria est debita cura disciplinæ, ut a subditis juxta cujusvis institutum omnia debito ordine et modo peragantur, ac puniantur. Gloss. hic. Addunt aliqui etiam veritatem doctrinæ, seu sermonis, quæ in conformitate mentis cum verbis externis consistit, et mendacio opponitur. Hoc notato.

3. *Regula intelligenda est de veritate vitæ. Sensus regulæ proprius.* — Quæritur I. Quomodo de veritate intelligenda sit regula, et quis proprius illius sensus sit? Resp. Regula nostra ad vitium posita proprie ac principaliter intelligenda est de veritate vitæ, ita ut verus sensus illius sit: « Propter scandalum passivum vitandum, seu impediendum alterius peccatum nil est faciendum, aut omittendum, quod sine peccato fieri, aut omitti non potest: seu; potius est permittendum scandalum passivum, hoc est, peccatum alterius, quam quod quis ipse faciat aut omittat, quod sine peccato, sicque sine læsione veritatis vitæ facere aut omittere non potest, » arg. c. *faciat*, 15, can. 22, q. 2. Concordant doctores communiter cum glossa h. t. et ratio est, « Quia non sunt facienda mala, ut veniant bona. »

4. *Extenditur regula.* — Extenditur communiter hæc regula etiam ad illas actiones, quæ ex se quidem nec præceptæ, nec prohibitæ, honestæ tamen, ac nullam speciem mali habentes sunt, si eas communis, et privata, propria vel aliena necessitas aut utilitas, vel damnum securum exposcat: ut proin eas ponere omnino liceat, etsi ex illis scandalum sive pharisaicum sive pusillorum prævideatur et sequatur, prout cum communi theologorum jam diximus, probavimus, et exemplificavimus in nostra *Theologia morali*, tract. 4, dist. 7, q. 2.

5. *Veritas justitiæ et disciplinæ ob scandalum quando temperari debet.* — Resp. II. Veritas justitiæ et disciplinæ, quamvis ordinariè loquendo omnino etiam observandæ sint, tamen ad vitandum scandalum quandoque temperandæ, omittendæ, vel differendæ ve-